

Q. 182  
Q. 182

Ve  
864



DE EO  
QVOD JVRIS EST  
IN

# DONATIONIBVS

## BONORVM IMMOBILIVM

### IVRE INPRIMIS SAXONICO

*SVB PRAESIDIO*

## IO. HEINRICI ALBINI, D.

FACVLTATIS IVRIDICAE IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI ASSESSORIS ET SENATVS  
CIVITATIS SYNDICI,

### PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI

D. *APRILIS MDCC XXXII.*

*PVBlice DISSERIT*

*AVCTOR RESPONDENS*

## IO. CHRISTIANVS HEDLERVS

VITEB. SAX. ADV. IMMATR. ET JVR. CANDID.

*VVITENBERGAE,*

LITERIS IOHANNIS CHRISTIANI GERDESII.





CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS  
DOMINIS CONSULTIBVS  
DOMINO SYNDICO  
DOMINO PRAETORI  
CAETERISQVE IN SENATV CIVITAVIS  
VITEBERGENSIS ASSESSORIBVS  
GRAVISSIMIS  
IVRECONSULTIS DEXTERIMIS FLORENTISSIMIS-  
QVE ATQVE VIRIS OMNI MERITORVM IN REMPUBLICAM  
AMPLITVDINE INSIGNIBVS



DOMINIS AC PATRONIS

SVMMOPERE OBSERVANDIS

GRATI ANIMI ATQVE OBSEQUI CAUSA

HANC DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

D. D. D.

Io. CHRISTIANVS HEDLERVS. VITEB. SAX.



Q. D. B. V.

DE EO

QVOD IVRIS EST

IN

DONATIONIBVS

BONORVM IMMOBILIVM

IVRE INPRIMIS SAXONICO.

§. I.

**R**

aram a Doctoribus donationum materiem vocari, non quod earum Iura moribus nostris immutata fuerint, sed quod in dubio donationes non praesumantur, cum adeo supinus iudicetur nemo, ut res suas facile jactare vellet, docet STRYKIVS in VSV MODER. P. IV. pag. 51. §. 51. Interim nollem asserere, cessisse prorsus ex animis nostratium donandi voluntatem, benevolentiaeque documenta aliis, iisque bene meritis, declarandi studi-

A 2

um

um. Ut enim, teste CICERONE *Lib. I. offic.* nihil honestius, magnificentius, hominisque naturæ accommodatius, liberalitate censendum, atque ex sententia Demosthenis benigne faciendo redduntur homines Deo similes, LAMPRID. *in ALEX. SEVER.* sic ejus rei in promptu sunt exempla, quæ referri possent fusius, nisi brevilloquentem me vellet temporis angustia. Non itaque infrequens est omnino, licet non adeo frequens sit, mos donandi; sed, quo minus frequens, eo magis expositus est Iure Consultorum controversiis. Maxime vero in bonorum immobilium donatione diversæ sunt eorum opiniones, distractæque sententiæ. Quamobrem hancce materiam, tum quod dignitate atque præstantia inter cæteras eminet, tum quæ d. Saxonici potissimum civilisque Iuris disceptatio us involuta maxime videtur, proponere, quidque circa eam justum sit, jure imprimis Saxonico, pervolvere, audeo, lectorem rogans, ut, si qua in re me lapsum sentiat, tralatiui reminiscatur effati: *omnium habere memoriam & in nullo aberrare, non esse mortalis constantiæ, sed infallibilis divinitatis*, virium studiorumque facienti periculum, veniam, cum omnes mortales, immortalitate licet dignos, errasse sciam, hominesque simus, atque omnes deceptionis gustemus latices, concedat.

§. II.

**T**erminorum rationem ut habeam, necessum haud videtur, quando quidem, quid donatio, quid bona immobilia, quid mobilia, ignorari, non credo. Dum vero solemnitates, in donationibus observari solitas, respicio, uti secundum simplicitatem juris naturalis, ubi ad acquisitionem derivativam dominii, quatenus hoc est nuda  
 facul-

facultas moralis, & nihil facultatis physicae admixtum habet, nihil in alienante præter actum voluntatis, per verba, aliave signa externa, declaratum, requiritur, ita e norma Iuris Civilis, hujus si spectes primordia, solemnitatibus æque non opus fuisse, sed, interveniente conventionem, pro lubitu donantis atque donatarii constituisse, asserere non reformido. Lata vero post temporis intervallum lege Cincia a M. CINCIO ALIMENTO, Tribuno Plebis A. V. C. ICXLIX. quam & *muneralem* vocat PLAVTVS apud FESTVM sub voce *muneralem* p. 323. variis modis restricta fuit donandi libertas.

§. III.

**T**ribus ista lex distinguebatur capitibus, quorum primum, ne quis ob causæ perorationem, vel in foro, vel in Senatu, vel in Concione, a Clientibus pecuniam donumve caperet, monente TACITO, LIB XI. ANN. Cap. V. jubebat. Equidem gratuita veterum erat oratorum eloquentia: existimabant enim longe honestissimum, ac professione sua dignissimum, non vendere operam, nec elevare tanti beneficii auctoritatem, cum pleraque hoc ipso vilia possint videri, quod pretium habent, ut FABIVS Lib. XII. INSTIT. ORAT: Cap. VII. loquitur, maleque se rem habere judicabant, cum, quod virtute effici deberet, paterentur tentari pecuniâ BRVMMER Cap. II. Num. II. Vti vero hie mos, omni laude dignus, sic & istud Cinciae legis caput postea cœpit obsolescere, subortis præsertim belli civilis Mariani Casareanique motibus, quibus ut antea latis legibus omnibus, ita huic pariter perpetuum imponi videbatur silentium. Maxime vero, & nullo tempore magis impune in hocce legis Cinciae

caput peccatum fuit, quam Cæsare & Pompejo de Republica certantibus. Adde, quod & ipsis ICTIS imperfecta videbatur legis hujus dispositio uti refert BRVMMER ad legem Cinciam *Cap. III. num. 1.* At ab AVGVSTO Imperatore ea lex sub pœna quadrupli restituendi instaurata fuit *cit. AVT. p. 36. num. 9.* a CLAVDIO vero deinde ita correctâ, ut, docente TACITO *Ann. XI. Cap. V.* ad dena usque sestertium capere præmia oratoribus liceret, BRVMMER *ad leg. Cinc. p. 41. num. 1.* Denique sub Nerone iterum approbata legitur apud *laud. Aut. p. 52. num. 1.* legis hujus dispositio, eique tandem accessit sanctio Trajani, quæ jubebat, ut litigantes, antequam agerent, nihil, ob orandi laborem, a se datum promissumve, jurarent, finitis vero causis non nisi dena sestertium darent *Conf. NO V. 124. Cap. 1.* At enim vero, ut, veterum Oratorum eloquentiam fuisse gratuitam, dixi, ita hic submonendum, ea gratuita patrocinii præstatione Clientes ita Patronis conciliatos fuisse, ut non solum voluntate ac verbis, sed re etiam, & factis, gratos se erga Patronos exhibendi occasiones quærerent, atque, cum amici sibi invicem natalitia, strenas ac Xenia mittere solerent, ea quoque clientes Patronis, quibus amiciores non habebant, transmitterent, qua de re videri potest CENSORINVS *de die Natali Cap. 1.* *ibid.* LINDENBROGIUS & MACROBIUS *Lib. 1. Saturnal.* Quæ cum ita fuissent olim, sumpta inde fuit occasio in fraudem dictæ sanctionis multa suscipiendi, per Xenia videlicet, strenas, natalitia, captationes ultimarum voluntatum, palmaria, redemptiones litium, aliosque modos, quos refert BRVMMER *ad Leg. Cinc. Cap. III. sequ.* His factis intantum postea hæc lex exspiravit, ut non solum honorario Advocatorum fordidum mercedis nomen affingeretur, sed & a ICTIS judicaretur, Advocatum inter



ter & Clientem locationem & conductionem inter-  
venire, qua de re evolvi potest *l. 38. §. 1. ff. locat. l.*  
*ult. C. de Condit. ob caus. dat.*

§. IV.

**A**ltero Cinciae legis capite, certam ad summam re-  
stringebantur donationes, propterea quod non pau-  
ci largitionibus crebris, magnisque jacturis patrimonia  
perdiderant, quæ quidem quanta fuerit parum certo  
constat. Equidem HOTOMANNVS *de Donat.* ultra dodran-  
tem bonorum donationes haud fuisse licitas tradit,  
sed sine fundamento, BRVMMER *ad L. Cinc. Cap. XII.*  
*num. 5. seqq.* Alii, quos inter CVJACIUS est *Lib. VI.*  
*Observat. Cap. XLIX* & RANCHINVS *Lib. II. var. Lect.*  
*Cap. VII.* ducentos tantum aureos donari potuisse judi-  
cant, per *Leg. XXXIV. C. de Donat.* sed & hoc meris  
nititur conjecturis. Quid enim? maximarum exem-  
pla donationum refert PLINIUS *Lib. I. Epist. X. Lib. II.*  
*Epist. IV. Lib. VI. Epist. XXV. ei XXXII.* quæ CC. aureo-  
rum numerum omnes excedunt, nihilo tamen fecius  
legitimæ judicatæ fuerunt BRVMMER *dict. loc. Cap. XII.*  
*num. IV.* Tertio denique capite constitutum erat, ut in  
donationibus mancipatio traditiove adhiberetur, ex-  
ceptis donationibus conditionatis, & mortis causa  
factis: in his enim rei donatæ dominium non statim,  
sed morte demum Donatoris infecuta, vel existente  
conditione, in eum, cui res donata erat, transibat,  
videatur BRVMMER *dict. Cap. XII. num. I.* ubi variis id  
exemplis illustrat, & *Cap. XIII. num. 2.* quid mancipatio  
fuerit, quid traditio, commonstrat. Hos enim mo-  
dos tam in favorem donantis, quam Donatarii adhi-  
beri in donationibus Cincius voluit. Ipsi enim visum  
est,

est, fore, ut inconsulta donandi facilitas coërceretur, si Donator, rem suam corpore a se ad alium transmigrare, cerneret; & contra jus accipientis in re donata stabiliri & confirmari melius haud posse existimabat, quam re mancipi per mancipationem, re nec mancipi per traditionem accepta. Namque cum mancipatio alienationis modus esset legitimus, donationi, ut accedebat, dominiumque ex iure Quiritium in accipientem transferebatur, traditione vero, quamvis non iure Quiritium dominium transmitteretur, securus tamen donatarius reddebatur, adempta donatori spe repetendæ rei, quam semel tradiderat, utpote qui non alia mente rem donasse, eamque tradidisse, censebatur, quam ut accipientis fieret.

## V.

**A**t enim vero, ut omnium rerum est vicissitudo, atque alios in ritus, mores legesque plerumque minimis momentis vertuntur, sic & legis Cinciae dispositio varie habita ejusque forma sæpe fuit immutata. Namque cum ex tertio legis istius capite ad donationis perfectionem vel mancipationem vel traditionem opus esset, eoque iure donatio nihil aliud, quam liberalis alienatio, videretur, communi partium consensu tradendo accipiendoque perficienda *l. 1. ff. de Donat.* paulatim hæc consuetudo serpere & prodire cepit, ut inter personas conjunctas quibuscunque verbis, & sine ulla interveniente mancipatione, facta donatio valeret. Ac licet exemplo matris Voconii, quod *Plinius Lib. X. Epist. III.* refert, satis evincatur, ab initio legem Cinciam cognatos, aliasque pariter conjunctas personas secutas fuisse, tamen postea iste mos constitutione

tione ANTONII PII cuius mentio fit in *Leg. IV. C. Theod. de Donat.* confirmatus, Cinciaeque legis sanctio immutata fuit, PAVLVVS *Sent. Recept. IV. Tit. I. §. II.* De in idem D. PIVS, monente BRVMNERO ad legem Cinciam *Cap. XIII.* primus vetuit, ne posset ulterius conveniri, quam in quantum facere licuerit. Refert quoque PAVLVVS *Recept. Sentent. V. II. 6.* ex quo, immutatis tamen verbis *L. 34. §. I. ff. de Donat.* desumpta est, in infinitum donare huic licitum fuisse, qui aliquem a latronculis vel hostibus eripuerat, dummodo donatio, & non merces laboris, appellaretur, quod quidem, ipse legi Cinciae, an Principum constitutionibus, debeatur, non facile dixeris, HEINECCIUS in SYNTAG: ANTIQ. ROM. Invaluit etiam ut verbis generalioribus non fieri posset donatio, sed singulae res, quas quis esset donaturus nominari deberent *l. I. COD. HERMOG. de Donat.* Denique iussit CONSTANTINVS CHLORVS, omnes donationes in scriptis fieri, actisque insinuari, quam constitutionem a filio CONSTANTINO M. confirmatam legimus *l. I. COD THEOD. de spons.* eamque iterum mitigatam quodammodo a Theodosio ex Valentiniano reperimus, remittentibus non scripturam solum, sed etiam ipsam insinuationem, dumne donum ducentos aureos excederet, qua de causa evolvi potest *l. 29. Cod. h. t.* qui Principes quoque secundum Cinciae legis caput de certa donationis summa sustulisse dicuntur, Vid. BRVMNER *dict. loc. Cap. XII.* qui hoc ipsum *ex leg. ult. C. THEODOSIANI de spons.* colligere discupit, quamvis, si haec lex evolvitur, certiores reddamur, agi ibidem tantum de donatione propter nuptias, ostendique, quamnam sit insinuanda. Iustinianus vero summam, actis insinuandam, primo ad trecentos *l. 34. Cod. de Donat.* mox ad quingentos aureos extendit, *dict. leg. & 37. Cod. eod.* insuperque

statuit, ut omnis donatio, quæ hactenus inter extraneos non nisi facta traditione valuerat, nuda voluntate perfici posset, eaque sic perfecta, donator rem donatam sine mora tradere teneretur. *l. 35. §. ult. l. 36. §. ult. Cod. de. Donat.*

VI.

Secundum jura Germanorum, maxime Saxonum, donandi facultas magis restricta erat, siquidem distingvi solebat inter bona immobilia, & mobilia. Donatio mobilium peculiarem formam habet præscriptam im Land Recht Lib. I. arr. 52. ubi sic: alle fahrende Haab aber giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben in allen Städten und an allen Orthen, und läffet und verleihet sein Guth, allein daß er sich also vermög, daß er begurt mit einem Schwerd und mit einem Schild auf ein Ross kommen möge von einem Stein oder Stock einer Daum Ellen ( i. e. halben Ellen ) hoch ohne Hülffe, also doch, daß man ihm das Ross und den Stegreif halte. Wenn er das nicht thun mag, so mag er sein Guth weder vergeben noch verlassen, noch gelehnen, dadurch ers jemand entfrembde der es wartend wäre nach seinem Tode. Cum hac dispositione coincidit fere lvs ALEMANNICVM PROVINCIALE Cap. 379. cuius verba sic se habent: All dieweil sich der Mann also verwalten mag, mit einem Schwerd, und mit einem Schild auf ein Ross kommen mag, von einem Stamme oder Stock, der einer Dum Ellen hoch ist, ohne eines andern Mannes Hülffe, doch soll man ihm das Ross heben und den Stegreif, die wyll er das mag gethun und gernten mag, alles wegcs eine Wyle, so mag er gethun mit sinem fahrenden Guth was er will, und als bald er das nicht gethun mag, so

so mag er weder geben noch lassen, noch thun, das jemand schadet die seines Gutes warten synd. Hanc formam saltem ab equestri ordinis hominibus observatam fuisse non obscure colligitur ex *Gloss. Germ. in Weichbild Art. 20. num. 30. sequ. & Gloss. in Lehnsrecht Cap. 31. num. 8.* Burgenses enim pedites gladio cincti incedere debebant zu Ringe und Bedinge gehen, das Schwert zucken und wieder einstecken. Rustici aratrum einen Umgang eines Morgenlang. ducebant. Fœminæ ad templum, viginti minimum perticarum spatio ab earum ædibus distans, vel ad Iudicii locum absque alterius hominis auxilio pedibus ire, & in Iudicio, usque dum donatio confirmata esset, stare, sine alius juvamine, tenebantur. In lecto vero decumbentes, sive masculi essent, sive fœminæ, donare non poterant, was über 5. Schilling werth, Weichbild ART. 65. vel uti dicitur in GLOSS. ad dict. ART. 65. num. 6. nicht mehr, als was sie mit der Hand begreifen, und über das Bettbret reichen mögen Conf. COLER DEGIS. GERM. XI. part. 1. FRANZK. Lib. II. Ref. 12. num. 15.

§. VII.

Hæ solemnitates quanquam in terris nostris jamdudum desuetudine dissolutæ sunt, ita ut ad ductum Iuris Civilis hodie quilibet, sine omni hac solemnitate, de bonis suis mobilibus pro lubitu donare possit, quemadmodum hoc confirmat CARPZOVIVS part. II. Const. 12. defn. II. num. 4. ibique allegati WESENBECIVS & SCHNEIDEWIVS, dumne donatio quingentos aureos excedat, nihilo tamen fecius in nonnullis provinciis ex particulari statuto reliquæ earum solemnitatum occurrunt. Sic enim in statutis Colonensibus Art. II. p. 14. dispositum legitur.

gitur: Wer einig sein Erbe oder Erb:Rechten binnert der alten Mauern in unser Stadt zc. in Testamenten oder Vermächtnissen vergeben oder besetzen will, der soll ungehalten und ungeleitet 7. Füsse lang gehen, als das von Alters her gewöhnlich gewesen ist, es wäre den Sache, daß er einige kündliche und offenbare Lähmde hätte, darum daß er nicht 7. Fuß gehen könnte, sondern Arglist. Huc etiam pertinet Ius Lubecense Lib. I. Tit. 10. Art. 3. Hat ein Mann wohl gewonnen Guth, der mag damit seines Gefallens gebahren, so ferne er zu Wege und Stege gehet und seiner Sinne und Gliedmaß mächtig ist, nach Lübischen Rechte. Id quod specialiori statuto in den Lübischen Voigtey: Rechten ita exprimitur: Wenn ein Mann so redlich ist seiner Sinne, und mächtig seiner Glieder, daß er ein Marc Pfund löthigen Goldes heben und böhren kann von einer Städte auf die andere, so mag er sein wohl gewonnen Guth geben, wem er will. Præterea in Lusatia superiori ex inveterata consuetudine, privilegio Regis Ferdinandi de Anno 1544. & Ord. Feud. Elect. Sax. de Anno 1652. §. Wir lassen zc. confirmata, ad alienationem bonorum feudalium adhuc hodie requiritur, ut vasallus, heredibus descendentibus masculis destitutus, eo corporis robore polleat, daß er in einem schuß freyen ganzen Kyraß oder Rüstung über den ganzen Leib, sambt einen langen guten Panzermäßigen Schwerd, einem feindmüthigen Hengst, mit einem tiefen zum Kyraß gehörigen Sattel von ebener Erde ohne einigen Vortheil und Beyhülffe beschreitte, und vor dem Land:Voigt den Vorritt thue, quibus tamen solemnitatibus ad alienationem bonorum feudalium in Lusatia superiori opus haud esse, si vasallus liberos feudi capaces habeat, probat Dn. BASTINELLER in *dissert. de Privil. Ferdinandi ad mediatos utriusque Lusatiae Vasallos non extendendo*. §. 4. lit. C.

§. VIII.

**I**n præfenti vero dum mihi de rerum immobilium donatione differendi animus est, de omnium bonorum, vel rerum mobilium, donatione sententiam non expectabis. Quid autem? In foro Saxonico æque ac secundum Iuris Romani dispositionem donationes in mortis causa & inter vivos distinguuntur, sic tamen, ut in aliquibus articulis ex Iure proprio informantur. Mortis causa donationem in viridi esse observantia, & requisita a Iure civili præscripta adhuc hodie stricte observanda, testatur STREYKIVS in VSV MODERN. part. 4. pag. 67. seqq. Donationes inter vivos, utut olim inter Saxones frequentiores fuerint, propterea quod Iura testamentorum secundum Iuris Romani dispositionem nondum erant præcepta, ideoque si quispiam in alterum ex liberalitate rem conferre volebat, per donationem inter vivos, proque diversa conditione rerum mobilium vel immobilium earumque acquisitione, prout vel avita, vel propria industria parta erant, id præstare debebat, attamen tantum abest, ut nullæ celebrentur, ut potius aliquoties, nec adeo raro, fiant, præsertim cum crebris istis solemnitatibus, ut olim, non amplius locus sit. Quæ cum ita sint, utrumque donandi genus, & mortis causa, & inter vivos, perlustrabo, in quolidet quid Iuris sit in Saxonia, pervolvens, quum donationis objectum sunt bona immobilia.

§. IX.

**N**evero prius dubium habeas, lector, quam legeris dissertationem, si forsitan in mentem tibi

veniant, textus Iuris Saxonici communis, qui sibi e diametro contradicere videntur, & reperiuntur alter *im Land-Recht Lib. I. art. 52. ohne Gericht mag kein Mann sein eigen Gut vergeben*, alter vero eodem lib. I Art. 34. *ohne des Richters Urlaub mag ein Mann sein eigen wohl vergeben*, præoccupandus est dissentiendi animus. His enim rite expositis, & probe intellectis, facilius, quæ postea dicuntur, intelligi poterunt. Sed quid? optima conciliandi ratio est, si distinguas inter pactum donationis & inter ipsam translationem rei donatæ. Illud solo consensu perficitur, neque judiciali auctoritate ad suam validitatem indiget, de quo exaudio textum citatum *Lib. I. Art. 34.* Sed tradi res immobilis, ejusdemque dominium acquiri in Saxonia nequit, nisi auctoritate Iudicis, & ejus quidem, sub quo illa sita est, de quo effectu intelligo alterum locum *im Land-Recht Lib. I. Art. 52.* De qua differentia ex instituto agit *CARPZ. Lib. 6. Tit. 7. Resp. 57. per tot. & in primis num. 13. sequ.* Vnde ex pacto donationis a Iudice licet haud confirmato, adversus donatoris heredes ad rem immobilem judicialiter tradendam, a donatario valide agi, respondit Ordo Vitembergensis 1721. Mens. Jul. videatur *ILLVSTR. DN. de WERNHER in OBSERV. FORENS. part. 9. Obs. I.*

§. X.

**I**ure Saxonum ut inter vivos facta donatio bonorum immobilium valeat, primo requiritur, ut fiat apud Acta Iudicii, coram Iudice, sub quo bona sita sunt. Quod vero Iudicialis hæc auctoritas requiratur in donatione rei immobilis inter vivos, si dominium transferri statim debeat, causa est, quia præter traditionem rei, quæ jure Romano ad transferendum domini-



minium, ex justa causa in accipientem facta, ab eo, qui jus & animum illud transferendi habebat sufficiens erat §. 40. *F. de R. D.* accessit Iure Saxonico resignatio judicialis. Describitur autem hæc, quod sit actus judicialis, quo quis rem immobilem alienaturus juri suo ac dominio coram competente Iudice renunciat, ac rem pleno jure, mediante investitura, in accipientem transfert. Igitur resignatio hæc tria complecti intelligitur I) ut alienans jus suum judicialiter resignet. *Land X. Lib. 2. Art. 30. II)* ut rem immobilem judicialiter tradat, vel etiam extrajudicialiter jamjam traditam esse fateatur, III) ut sequatur investitura judicialis. Equidem hac in re distinguendum est inter Ius Saxonicum commune & Electorale. Nam Iure Saxonico Communi investituram judicialem non nisi in donatione bonorum auctorum requiri ex *l. X. I. Art. 52. Weich: Bild Art. 20.* solide ostendit *FRANZKIVS Lib. 2. resp. 12.* nequicquam refutatus a *CARPZOVIO Decif. 127.* In Saxoniam vero Electorali res expedita est propter *Decisionem 61.* ubi generatim cautum, quod sine resignatione atque investitura judiciali dominium rerum immobilium transire haud debeat *ILLVSTR. DN. de WERNHER part. 9. Obs. 39.* Nec sola resignatio dominii translationem operatur, sed quemadmodum antea dictum fuit, imprimis traditio requiritur §. 40. *F. de R. D. l. 20. C. de Pact.* quæ nisi accesserit, frustra erit judicialis investitura. Idque satis aperte indicant verba laudatæ *Decisionis 61. daß hinführo eine extrajudicial-Ubergabe, und Einräumung eines unbeweglichen Stücke Guths nicht vor genugsam zu halten.* Vnde discere licet, hanc quidem solam ad dominii translationem citra judicialem resignationem haud sufficere, sed tamen necessariam esse, nec sine illa dominium transferri, ut recte animadvertit *NOB. DNVs.*

de

de BERGER *Disquis de Util. Usuc. in probat. Domin.* videatur DNVS de WERNHER *part. 4. obs. 51.* Cui itaque res immobilis in Saxonia a Domino donata inter vivos, ac tradita quidem, non autem ejusdem dominium judicialiter resignatum fuit, is verum dominium quidem non habet, poterit tamen actione Publiciana experiri contra Donatarium posteriorem, aliosve, qui ab eodem auctore causam possidendi habent *l. 9. §. 4. de Publ. in rem act. l. 31. §. 2. de act. empt.* vid. NOB. DNVS de BERGER *in OECON. IUR. p. 248.*

§. XI.

Neutiquam vero insinuationis judicialis naturam induit judicialis resignatio rei donatæ, adeo, ut, nisi bona immobilia 1000 thalerorum pretium excedant, etiam extrajudicialiter facta rei immobilis donatio inter vivos subsistat, & rei donatæ dominium transferatur. Equidem aliarum rerum, quas mobiles dicere consuevimus, donationem, quæ ultra 1000 thaleros fit, insinuandam esse, infra hanc summam vero etiam extrajudicialiter celebratam sustineri donationem, non dememini; at enim vero in Saxonia aliter sentiendum de donatione bonorum immobilium inter vivos facta. Hic enim requiritur generaliter, ut rerum immobilium donatio inter vivos, cujuscunque valoris fuerint res, sive magni, sive parvi, apud Acta Iudicii & coram Iudice eo, sub quo sita res, fiat, REINH. *part. 1. different. 4.* COPPEN. *observ. 99. num. 18.* namque ad effectum domini transferendi bonorum immobilium donatio per resignationem & per imuecturam judicialem ab eo Iudice, sub quo bona sita sunt, confirmari debet. CARPZ. *Lib. V. Resp. 57.*

§. XII.

§. XII.

**A**d validam honorum tam in immobilium, quam mobilium, donationem, iure Saxonico, deinde requiritur, ut donans non sit constitutus in aduersa ualitudine, ita ut decumbat, SCHNEIDW. *ad Art. 52. lib. I. Land-Rechts num. 4. in fin.* Hac de re legi poterit retro §. 6. *huj. diff. ubi* fusius hujus requisiti forma exponitur. At enim vero moribus hodiernis tam ægrotos, quam sanos, in Saxonia, & extra eam, valide donare posse, communis est Doctorum sententia, videatur WESSENBECK *ad SCHNEIDEW. ad §. 2. I. de Donat. num. 40. lit. d.* allegans CONST. ELECT. *part. 3. Const. 5. & leg. Senect. 16. C. de Donat. Weichbild Art. 65. REINH. diff. 6. de Contract. RICHTER. part. I. Decis. 22. num. 44. 45.* Qua ex opinione Doctorum deinceps textus *Land-Recht Lib. I. Art. 52.* sic exponi cœpit, ut de eo casu solum loqui videatur, quando donator ægrotans mentis suæ non amplius compos est, verb. *zu der Zeit, als er es nicht thun mag.* videatur STRYKIUS *in usu modern. part. 4. pag. 64.*

§. XIII.

**T**andem, si valida sit donatio rei immobilis inter vivos, desideratur, ut accedat heredum consensus. Sic enim *Lib. I. Art. 52.* Ohne der Erben Laub mag kein Mann sein Eigenes vergeben. *Lib. II. Art. 30.* dispositum legimus, quam rem clare exponit glossa *num. 5. ad dict. Art. 52.* Die Sachsen haben unter sich das Recht, daß wer nichts vergeben will, möge solches thun, dieweil er es Leibes halben wohl selber noch gebrauchen möchte: denn wer sein Gut alsdenn erst vergiebt, da er

es nicht mehr genießen kan, der vergiebt nicht das Seine, sondern das seiner Erben ist. Notabis tamen, in dicto textu *Land- Rechts Lib. I. Art. 52.* ubi opus est heredum consensu, subintelligi 1) bona immobilia, denn alle fahrende Haabe giebt der Mann ohne Laub der Erben, uti dicitur in eodem Art. 2) eaque avita, *Stamm-Güter* non propria industria conquesta. Jure vero Electorali dispositio Juris communis, qua cautum, quod bona avita *Stamm-Güter* non aliter, quam judicialiter & cum consensu heredum alienari debeant, *Land- Recht Lib. I. Art. 52. junct. Gloss. Germ. h. num. 8.* hanc sustinet interpretationem, quod bona immobilia avita non possint inter vivos donari sine consensu descendentium, *Z. in Introd. in Jus Sax. pag. 65. §. 14.* Quid autem? uni ex liberis bona avita inter vivos donari, dummodo cæteris maneat legitima salva, æque ut per ultimam voluntatem in quoscunque transferri, possunt. *P. 2. C. 12.*

§. XIV.

**P**ræcise etiam in donatione inter vivos, maxime bonorum immobilium, quorum dominium judicialiter transfertur, & per investituram acquirendum est, quin imo licet extrajudicialiter celebretur donatio, nihilo tamen fecius semper desideratur acceptatio donatarii. Equidem legere non dememini apud *Rauchbar. part. 1. quæst. 32. num. 103.* donationem absque donatarii acceptatione & *μνομοσπῶς* fieri posse, sed ajens placet sententia *JAVOLENI in l. 55. ff. de O. & A. in omnibus rebus,* inquentis, *que dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium: nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perducì ad effectum id, quod inchoatur, non potest.* Effectus horum est verborum, ut, nisi acceptatio, & quamdiu non

non fiat, tamdiu donator facultatem habeat donationem pro lubitu revocandi, ZOESIUS *ad ff. de Donat. num. 23.* SANDE DECIS. FRIS. *Lib. 5. tit. 1. definit. 1.* Poterit tamen, si absens fuerit, donatarius procuratorem hic constituere, qui ex mandato absentis donationem acceptet: nam alias, si tertius nomine absentis eandem acceptaverit, sed sine mandato, salvo isto principio: tertio per tertium hodie acquiri obligationem, nihil agitur, nisi vivo donatore ipsius donarii accesserit ratificatio, quia præcise in *dict. l. 55. ff. de O. & A.* requiritur consensus & acceptatio, videatur CARPZ. *part. 2. Const. 12. def. 20.* Nec habet aliquid in Recessu, quod aliqui acceptationem intuitu absentis præsumi existimant, vid. SCHILTER *Prax. Jur. Rom. Exercit. 43. §. 24.* Namque acceptationem ex eo, quod nemo facile donationem detrectet, & commoda sua augeri, abnuat, præsumi nego, sed in facto consistere, adeoque ab allegante liquido probandam esse affirmo. Et enim ad validitatem donationis acceptatio sigillatim a lege requiritur in *dict. loc.* Requisita vero a lege præscripta actui adhibita fuisse, ab eo probandum, qui in illis intentionis suæ fundamentum collocat. Sicuti etiam hoc solum non sufficit, si donatarius donationem factam esse sciverit, aut rem donatam post mortem donatoris petierit, sed ab initio statim acceptationem rite factam esse, vel in persona, vel per procuratorem, vel per ratificationem acceptationis, a tertio factæ, legitimis probationibus deducendum. vid. Illustr. Dn. LIB. BARO de WERNHER *in Obs. Forens. part. 1. obs. 15.*

§. XV.

**B**onorum immobilium donationem inter vivos factam ubi cognovimus, nunc, quæ ad donationem

C 2

bono-

bonorum immobilium mortis consideratione factam, requirantur, perspicendum. Ut vero hæc in quacunque re generatim fieri potest ab omnibus, qui testamenti faciendi facultatem habent, *arg. l. 7. §. ult. de Donat.* quin imo ab illis interdum, qui testari nequeunt, ut filiofamilias *d. l. 7. §. ult. l. 25. §. 1. de mort. caus. Donat.* itemque usurario *arg. l. 42. de Pæn. junct. ult. Cap. de usur. in 6.* ita intuitu bonorum immobilium valide pariter fit in Saxonia. Necessum vero est, ut forma, mortis causa donationi præscripta, servetur, eaque & interna, & externa. Illa in acceptatione ex parte donatarii *l. 38. de mort. caus. Donat.* puta præsentis, sive in persona, ubi quidem femina non indigēt curatore, sive per procuratorem. *arg. l. 31. §. 2. eod.* consistit, ita tamen, ut donatio mortis causa absenti facta, tanquam legatum aut fideicommissum citra acceptationem sustineatur *l. 77. §. 26. de Leg. l. 75. eod.* vel, si in Judicio absenti facta sit, subsistat in vim fideicommissi *Conf. pars III. Const. l. & CARPZ. in Lib. V. Resp. 62. num. 18.* Hæc vero desiderat, ut vel publice, ut puta coram Principe. *arg. l. 31. C. de Testament.* aut actis *arg. l. 31. C. de Donat.* atque iterum vel in loco Judicii, vel extra Judicium, vel privatim coram quinque testibus. *l. ult. C. de mort. caus. donat.* iisdemque una vice præsentibus, videntibus, atque audientibus, donatorem *arg. l. ult. C. de Codicill. l. 9. C. de Testament.* vid. Illustr. Dn. de BERGER *p. 272. seqq.* fiat. Sed quid? si eosdem testes interfuerit donatricis Curator? nihilofecius ejusmodi donationem mortis causa mulieris Saxonica valere putandum. Curatore enim tum opus haud est, igitur nihil vetat, quo minus Curator testis esse possit, imo donataria quoque Curator testis esse potest, cum donatio sine Curatore a femina queat acceptari *laud. Aut. p. 274.*

§. XVI.

**H**æc donatio mortis consideratione facta quamvis in formalibus recte se habeat, perfecta tamen nunquam dici poterit, nisi mors donantis sequatur. *l. 32. ff. de mort. caus. donat.* Sed quid? si mortis causa donans rem donatam tradiderit donatario? dubia videri poterat quæstio, propterea quod dominium, aut possessionem minimum, rei donatæ traditione translulisse videtur donatarius. Atenimvero si bona, mortis causa alicui donata, simul ei tradita fuerint, dominium vel possessio non nisi sub conditione mortis ex imminente periculo securaturæ translaturum censetur. *l. 32. §. 8. ff. dict. iii.* unde, cum cessante periculo & metu mortis ipso jure expiret talis donatio, repeti bona a donatario omnino possunt. Traditione enim dominium rei mortis causa donatæ revocabiliter tantum transferitur, & pœnitentia non solum, eaque vel expressa, vel tacita, alienatione scilicet rei donatæ in alium, verum etiam mortuo ante Donatorem donatario, vel evasione donatoris periculi & sic deficiente causa, donatio ipso jure resolvitur, & ad Donatorem revertitur dominium *l. 2. 29. & 32. ff. dict. iii.* nisi ita donatio & traditio facta sit ut nullo casu repetatur. *l. 13. §. 1. & l. 27. ff. dict. iii.* Conf. D. JOH. WOLFF TEXTORIS *part. 1. disp. 22. de Donat. mort. caus. per claus. annex. irrevocabili §. 9. & 10. pag. 367.* Jure autem Saxonico et si feminae minoresque sine Curatoribus mortis causa donare possunt, sub clausula tamen non revocandi nequeunt, teste Dn. LVDWELLO *in tract. de ult. volunt. part. 2. pag. 431.* Competit itaque 1) rei vindicatio donanti vel tradenti morte non secuta, ita tamen, ut, nisi impensas necessarias atque utiles resti-

tuat, doli mali exceptione submoveri possit, l. 14. ff. dict. Tit. 2) *Condictio causa data non secuta* l. 23. & l. 35. §. 3. 3) *actio rei vindicationis & condictio- nis ad pretium*, quando donatarius bona dona- ta vendidit l. 37. num. 1. l. 39. ff. dict. Tit. Donatarius vero tenetur non bona donata solum, sed fructus et- iam perceptos restituere. Morte vero insecuta a do- natario actiones eodem modo, quo legata petuntur, formandæ erunt, quia legatis æquiparantur donatio- nes mortis causa l. 9. & l. 37. ff. dict. tit.

§. XVII.

**I**n Saxonia maritum heredem esse saltem bonorum mobilium, ab uxore relictorum non vero immo- bilium, satis constat. Quæritur itaque, si immobili- um rerum dominium in maritum velit translatum, an per donationem id efficere possit? Negari nequit, donationes inter conjuges regulariter Jure Romano prohibitas esse, ex multiplici ratione, ne videlicet mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate abutentes. l. 1. ff. de Don. inter vir. & uxor. quin etiam cum divortia apud Romanos essent facillima & frequentissima, sæpe futurum, ut discuterentur matrimonia, si non dona- ret is, qui posset, atque ea ratione eventurum, ut ve- nalia essent matrimonia. De Jure Saxonico antiquo idem constitutum esse videtur in Lib. I. Art. 31. ubi hæc verba: *Drum mag kein Weib ihrem Manne geben an ihren eigen oder an ihrer fahrenden Haabe, daß sie es ihren rechten Erben entwende nach ihrem Tode. Denn der Mann mag an seines Weibes Gut kein ander Ge- wehr gewinnen, denn als er zu dem ersten mit ihr empfang in Vormundschaft.* Atenimvero Jure Saxonico hodie-

no



no valide fit inter conjuges donatio, si ad hunc actum peculiarem sibi elegerit Curatorem, cujus auctoritate marito donet, & quidem accedente judiciali insinuatione, uti referunt COLER. *Part. 1. decis. 12. num. 26. seqq.* CARPZ. *Part. 2. Const. 13. num. 25. defin. 26.* BERLICH. *Part. 2. Concl. 15. num. 25. seqq.* propterea quod, quæ judicialiter fiunt, præcipitantiæ aut concussione fieri non censeantur. Eorum opinioni Doctorum in donatione inter vivos bonorum immobilium ab uxore marito facienda hodie facilius locus est. Namque bonorum immobilium donatio, ita ut dominium statim transferatur, aliter fieri nequit, nisi judicialiter, coram eo Judice, sub quo bona sita sunt, consequenter cessat præcipitantiæ & concussione præsumptio: deinde nunquam in Judicio quicquam valide efficit scemina, neque in ipsius commodum, nisi cum Curatore, per *O. S. F. R. ad tit. 8. §. 3.* *Ausser dem aber soll denen Weibes- Personen allerseits alleine etwas, wenn es auch gleich zu ihren Besten gereichen könnte, vor Gerichte zu handeln, nicht nachgelassen seyn.*

§. XVIII.

**A**n vero bonorum immobilium donatione, a muliere inter vivos marito facta extrajudicialiter, cum consensu Curatoris, specialiter constituti ad hunc actum, & acceptante marito, cæterisque solennibus observatis, quæ ad extrajudicialem donationem alias requiruntur, ita tamen, ut ad judicialem traditionem confirmationemque perveniri haud potuerit, maritus aliquod jus habeat adversus donatricis heredes agendi, ut bonorum potiatur donatorum, non sine causa quaestio hoc loco moveri potest? Dubitandi ratio, non diffiteor, exinde desumi potest, quod ea, quæ de judiciali

diciali auctoritate dicta sunt, pro forma præscripta videantur, & quod simplex donatio inter conjuges prohibita. At enim vero, si donatrix ante donatarium sine revocatione, & dissensu, mortua sit, tunc omnino habere maritum actionem ex pacto donationis, a Judice licet nondum confirmato, adversus donatricis heredes, ad rem immobilem judicialiter tradendam puto, ex ratione quam supra §. 9. adstruxi, propterea, quod 1) morte donantis in genere confirmatur donatio, licet res donatæ actu non sint traditæ. *Novell. 162. Cap. 1. §. 1. STRUV. Exercit. 30. thes. 30. ZOESIVS ad ff. de Donat. inter vir. & uxor. num. 24. utut multi dissentiant per l. 23. ff. dict. tit. 2) quod ex donatione defunctæ personæ etiam heres obligatur argum. l. 49. de O. & A. dumne inofficiosa sit donatio, siue mortis consideratione facta, siue inter vivos, ut legitima heredis diminuatur, cui alias de jure debetur. l. 1. Cod. de inoffic. don. alias datur læso heredi querela inofficiosa donationis l. 2. Cod. dict. tit. per quam tamen non tota donatio rescinditur, sed tantum id revocatur, quod deest Legitimæ. l. 7. C. dict. tit. & quidem indistincte, siue re & consilio, siue re tantum inofficiosa fuerit donatio. In memorato casu cautelæ instar esse mihi videtur, si donatarius maritus donationem ab uxore factam juramento confirmandam curet, quia tunc subsistit, non quidem jure civili, sed jure Saxonico, quinimo per argum. cap. 28. X. de Jurej. Videatur Nob. Dn. de BERGER in *Oecon. Fur. pag. 276.* utut alias jure canonico pariter donatio inter conjuges regulariter prohibita censeatur, prohibetur enim ibidem saltem per rationem civilem, non ob turpitudinem naturalem. Videatur *Cap. 8. X. de donat. inter vir. & uxor.* ut vero tali ratione bona immobilia ab uxore in maritum per donationem inter vivos transferri possunt; sic idem*

licebit

licebit per donationem mortis causa, rite solemniter-  
que faciam. Nec dubitandum, a marito æque in uxore  
utroque donandi genere bona transferri posse  
immobilia. Ex parte mariti id peculiare est, quod  
habetur in *leg. 16. Cod. de Donat. inter vir. & uxor.* ubi  
hoc, quod maritus fundos ex pecunia sua uxoris nomine  
emit, pro tam evidenti donationis indicio habetur,  
ut maritus, donationem negans, si filii emancipati  
matris hereditatem sibi acquirunt, probare jubetur,  
se non donandi animo nomine uxoris suæ prædia  
comparasse, sed nominis duntaxat ejus titulo usum  
esse. Quæ dispositio quemadmodum in probatione  
per conjecturas donationis mobilium rerum inter  
conjuges factæ applicari possit, videre licet, cui  
volupe est, apud Magnif. Dn. LEYSERVM in *Meditat.*  
*ad Pand. pari. 5. p. 298.*

§. XIX.

Qua ratione itaque donationes bonorum immobilium  
conficiendæ sint, satis, nostra quidem opinione,  
demonstratum ivimus. Cum vero bona immobilia  
peculiares interdum qualitates habent, dum dotalium  
quandoque, quandoque paraphernalium, interdum  
feudalium, vel emphyteuticorum, vel etiam Ecclesiasticorum  
bonorum titulo insigniuntur, tum etiam pro diversa  
hac qualitate aut prorsus non, aut saltem certo modo  
donationum objecta esse possunt. Sic de bonis immobilibus,  
quæ marito dotis nomine, sive taxationis, sive venditionis gratia,  
allata sunt, uxor donare non potest, propterea quod  
posteriori in casu marito plenum ejusmodi in bonis  
dominium, ita ut pro lubitu eadem alienare possit,  
priori in casu vero civile dominium acquiritur,  
ut administrare eadem

D

dem

dem liceat, qua cum administratione conjuncta est fructus percipiendi potestas. De bonis paraphernalibus donare propterea nequit uxor, quod in iisdem usufructum hodie maritus habet. In bonis receptitiis ut integra manet uxori & proprietas & utendi fruendi facultas, ita pro lubitu de iis disponendi potestate gaudet, siue mobilia sint, siue immobilia bona.

§. XX.

**I**n bonis feudalibus mortis causa donatio licita non est *II. F. 9.* propterea quod feudum ad res alienas spectat, de quibus nec testari, nec quicquam, quod instar est ultimæ voluntatis, efficere possumus, siquidem id domino præjudicat, cui vasallus obtrudi nequit, *STRUV. Cap. 9. thes. I. in fin.* nisi ei donetur, qui alioquin successurus erat, quamquam hoc casu donatarius non beneficio donatoris, sed Jure proprio sibi antea competentē, feudum acquirit. Id adeo verum est, ut piis etiam locis seu Ecclesiis, donatio facta haud valeat. Nam Jus Canonicum sequi Jura feudalia non dedignatur *C. ceterum X. de judic. cum similibus.* præterea Ecclesia cum auctrix & cultrix Justitiæ esse debeat. *Cap. I. de alienat. Feud.* non debet domino jus suum auferre. Et quid multis? ipsi vasalli, facti religiosi, qui hactenus feudum possederunt, amittunt, *C. I. de feud. femin. C. I. de mil. Vasall. qui arma bell. depof. C. I. §. si quis per 30. vers. qui clericus si de feud. defunct. contens. sit.* Ergo multo magis denegabitur talibus locis acquisitio feudi cirra domini consensum. Donare inter vivos feudum non poterit aliter vasallus, nisi consentiente Domino, si feudum novum sit, & agnatis etiam, si feudum sit antiquum, *2. F. 39.* Refertur enim hæc donatio inter alienandi modos: in alienatione Feudi

Feudi autem agnatorum consensus propterea necessarius est, quod de eorum præjudicio agitur; domini directi consensus ideo requiritur, ne vasallus ipsi invito obtrudatur. Spectat huc peculiare Sereniss. Sax. Electoris Joh. Georgii I. mandatum de Anno 1622. apud Titium in *teutschen Lehn-Recht* p. 608. extans.

§. XXI.

**B**ona emphyteuticaria ut ignorante domino vendi nequeunt, propterea quod ei competit jus protimiseos *l. ult. C. de Fur. Emphyteut.* ita emphyteuta, quamquam emphyteusin donare potest, ut docet LYNCKER in *Annal. Feud. XIII. 4. 2.* sine consensu tamen Domini jus suum ne quidem titulo donationis in alium transferre potest, sed ad denunciationem Domino faciendam tenetur, NOB. DN. de BERGER. *part. 2. C. 63.* Nec obstat, quod in ejusmodi casu, ubi prædium emphyteuticarium titulo lucrativo in alium transit, jus protimiseos exerceri non possit, ideoque denunciatio minus necessaria videatur. Namque hanc solam & adæquatam rationem, scito, non esse, ut consensus Domini requiratur; sed hic propterea, vel maxime desideratur, ut sciat dominus, qualem emphyteutam in posterum habiturus sit, & si quid circa ejus personam jure desideret, alienationem impedire queat. Quæ ratio utroque casu, sive oneroso, sive lucrativo, titulo emphyteusis transferri debeat, locum habet, Illustr. Dn. Lib. Baro de WERNHER in *Obs. Forens. part. 3. obs. 235.* Quemadmodum vero domini directi consensus non requiritur, si liberis nepotibusque emphyteusin vendunt parentes, & in tali venditione jus protimiseos cessat, 1) quia solent parentes liberis pro viliori pretio relinquere bona, & hæc non tam est alienatio,

D 2

quam

quam quædam refutatio. MULLER. *ad STRUY. Exc. II. C. 49. l. V. FULGIN. de Jur. Emphyteut. T. de Contract. n. 193. & 198. II.*) quia ad eos ab intestato perveniret prædium emphyteuticum, quibus rationibus inductus denegavit consensum Domini Scabinatus Vitembergensis 1710. ita etiam per donationem seu divisionem liberorum uni pater emphyteuticum prædium, sine domini consensu, earundem argumento rationum, assignare potest. Bona Ecclesiastica an, & quomodo, donari possint, pluribus demonstravit Dn. BOEHMER. *in Jur. Eccles. L. 3. Tit. 24. §. 1.*

§. XXII.

**H**æc itaque collecta de donatione bonorum immobilium in Saxonia candidi Lectoris humanitati commissa sunt. Stolidissimos Syllabarum aucupes parum curo. Ab iis, ad judicandum justo pollentibus judicio, quibus argumentorum radii non satis emicare videntur, moneri, tantum abest, ut pati no-  
lim, ut id etiam maxime optem. Melius enim est, a Sapiente corripri, quam Stultorum adulatione decipi.

F I N I S.



Nobi-

NOBILISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
DN.  
CANDIDATO  
DISSERTATIONIS HVJVS AVCTORI

S. D.

IO. HENR. ALBINVS D.

**L**aus illa Tibi omnino debetur, Te non  
superficiarie, sed omni adhibita dili-  
gentia jurisprudentiæ studio ope-  
ram dedisse, ut amplissimus Jctorum  
ordo, Te ad summos in jure honores admit-  
tere, haud dubitaverit. Haftenus enim non


E 3

mo-

modo pro Cathedra juridica & respondendo  
& opponendo sapius egregie stetit, sed etiam  
in foro Causas, quia & muneri & fidei satis-  
fecisti, feliciter perorasti, imo hanc Disserta-  
tionem, cui aliquid addere vel demere, quo  
omnia tua sint, nolui, pari industria atque  
dexteritate laudabiliter concinnasti. Meum  
ergo nunc est, Tibi eo animo, quo mihi ipsi  
fausta quævis cupio, & de his speciminibus  
& de gradu, quo mox ornaberis, gratulari,  
Deumque immortalem, ut Tibi vitam, vale-  
tudinem, Patronos fortunamque clementissime  
concedat, omniaque tua consilia ad Salutem  
tuam & proximi dirigat, precari ! Vale  
& fave Dab. Vitemb. d VII. Apr.  
M DCC XXXII.







OK. 182.  
OK. 182.



DE EO  
QVOD IVRIS EST  
IN



# DONATIONIBVS

## BONORVM IMMOBILIVM

### IVRE INPRIMIS SAXONICO

*SVB PRAESIDIO*

## IO. HEINRICI ALBINI, D.

FACVLTATIS IVRIDICAE IN ACADEMIA  
VITEMBERGENSI ASSESSORIS ET SENATVS  
CIVITATIS SYNDICI,

### PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI  
D. APRILIS MDCC XXXII.

PVBLICE DISSERTIT

AVCTOR RESPONDENS

## IO. CHRISTIANVS HEDLERVS

VITEB. SAX. ADV. IMMATR. ET IVR. CANDID.

VVITENBERGAE,

LITERIS IOHANNIS CHRISTIANI GERDESII.